



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi Thomae

Cvm Variis Indicibvs

De Deo Effectore, Creaturarvm Omnivm Tractatvs II. De Opere Sex
Diervm, Ac Tertivs De Anima

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1622

XII. Quodnam sit subiectum potentiæ generatiuæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93575](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93575)

addit tamen eum arteriarum sanguinem participari à venis, vnde solum à corde pendet quoad maiorem calorem, subtilitatem, accidentalemque perfectionem.

Sed quaeret aliquis, an sanguis possit ab alio, quam ab hepate generari. Ex dictis enim negandum videtur, ideo namque dicitur hepar primum nutritionis principium, quia est fons sanguinis, quod simpliciter verum non esset, si posset alibi generari. In hoc dubio medici conueniunt sanguinem in venis etiam generari: de modo autem, & principio, à quo fiat, dissident. Quidam aiunt generari ab hepatis virtute ibi transmissa per quosdam spiritus naturales. Quæ sententia mihi displicet, quia superflua, & contra Galenum l. 1. de locis patientibus, ubi in virtutibus naturalibus humis in influxum diserte negat. Et ratio est, quia omnia instrumenta nutriendi naturaliter operantur per temperamenta sua ad assimilationem materię, in quam agunt: non ergo vim illam aliunde mutantur. Alij fatentur fieri sanguinem à venis per propriam ipsarum virtutem, quod etiam falsum est, quia temperamentum venæ dissimile est à temperamento sanguinis. Dicendum est ergo venam non generare sanguinem, hunc tamē posse alium in venis procreare, quod probatur, nam sanguis actius est, cum sit calidus, & humidus: ergo potest generare sibi simile ex pituita, vel alio humore sibi in venis admixto, quod facilius contingit, si sanguis iuuetur à calore partium adiacentium: & adhuc perfectius in venis hepatis vicinioribus propter vberiore illius sanguinis calorem ex ipsius hepatis vicinia, quemadmodum indicat Galenus 4. de vsu partium, cap. 17. & libr. 5. de locis patientibus, cap. 7. hoc autem non tollit, quod hepar sit primum principium nutritionis, cum absolute totus sanguis ab illo deat originem, sicut vinum originem ducit à vite, licet in dolio possit guttaque in vinum verti, actione vini in dolio contenti.

C A P V T XII.

Quidnam sit subiectum generatiue potentie.

HÆc quaestio per quædam dubia melius, & breuius resoluetur, quorum primum est, an hæc potentia in omnibus viuientibus, aut tantum in quibusdam inueniatur. Dicendumque in quibusdam tantum dari: quoniam actio generandi à quibusdam tantum potest exerceri: ergo potentia tantum reperitur in illis: potentia vero ibi tantum reperiri potest, ubi & actus. Instabis, omnia viuientia habent calorem naturalem, potentia autem seminis elaboratrix, ipse est naturalis calor: ergo, &c. Occurrendum non quemlibet naturalem calorem esse productiuum seminis, sed attemperatum, qualem non obtinent quælibet viuientia sine discrimine. Ad hæc naturalis calor primo decoquit alimentum ad nutritionem viuientis requisitum: inter viuientia vero sunt, quibus tantum suppetit facultas præparandi, quod ad propriam sustentationem, & conseruationem sufficit ergo, &c.

Secundo dubitari potest, an generandi potentia solis viris insit, an etiam foeminis? Aristoteles 1. de Generatione animalium, cap. 2. & 20. & 15. de animalibus, cap. 25. & 26. sentit solum inesse viris, ait enim virile semen totam efficientiam in generatione sortiri, foeminam vero semen non emitte- re, sed ministrare materiam, oppositum docuerat Hippocrates lib. de Genitura, & lib. de animatio- ne foetus, cui accessit Galen. lib. de spermate. Nos hanc quaestionem tetigimus 2. Phylcorum, q. 3.

ubi Hippocratis opinionem probabiliorē cen- suimus. Vnde addimus potentiam generatiuam esse eiusdem rationis in maribus, & foeminis. probaturque ex dictis suprà. Nam potentia genera- tiua duo efficit in femine, crassam scilicet substan- tiam, & spiritum in ea complantatum: potentiam ad primum constat communem esse, cum substan- tia illa non aliud sit præter sanguinem digestum, & decoctum ad nutritionem quorundam mem- brorum: in foeminis autem virtus est ad coquen- dum sanguinem illo modo, cum illum interdum emittant: ergo, &c. Quod deinde possint femini vim effectiuam imprimere probatur: quia fortasse non possent ex defectu natui caloris, quod falsum esse constat, cum foemina sæpe sint calidiores vi- ris: vnde citatus Hippocrates scribit foeminas e- mittere interdum calidius semen, & efficacius, quam viros, effectusque ipse comprobatur, nam sæpe filij simillimi matribus nascuntur, quod non nisi ad virtutem effectiuam referri potest. Nam si- militudo prouenit ex forma inductiua: effectus ergo assimilatur inducenti: ergo mater actiue concurrat, & de his satis.

Superfunt tamen argumenta duo, Theologi- cum vnum, Phylicum aliud. Theologicum est non videri necessarium, vt mater semen ad prolem e- laboret, illudque suppediet generando ne alio- quin virgini matri, quæ Christum Dominum ve- rissime genuit, prædictas actiones attribui co- gamur, quæ tantæ integritati videntur derogare. Sed hac de re suo loco. Secundum argumen- tum phylicum, quoniam si foemina habet vim ef- ficienti senten, se sola posset concipere, & genera- re: nam intra se habet materiam, ex qua habet etiam vim actiuam: ergo non est necessarium virile semen. Respondetur, licet possit foemina se- men procreare, non tamen adeo efficax, vt suffi- ciat ad formationem foetus sine commixtione vi- rilis seminis. Adde, si complexio foemina minus calida sit, semen quoque minus erit sufficiens: si ve- ro nimis calida, fortius quidem semen suppedita- bit, materia tamen ad generandam prolem mi- nor erit ob vim caloris nihil superflui ex alimen- to relinquentis.

Iam tertio dubitabit aliquis, quæ nam viuientia generandi potentia destituantur. Aristoteles 2. 3. Dubium. de Anima, cap. 4. docet productionem sui similis conuenire viuientibus perfectis, si membris debi- tis orata non sint, quorum est proprium ex femi- ne oriri. Tria ergo videtur postulare in viuente, vt possit generationem exercere: primo vt sit perfe- ctum, id est, in ætate sufficiente ad illum actum. Secundum est, ne viuens sit orbatum, aut natura- liter impeditum, quales execti, frigidi, & similes, de quibus Aristoteles 3. de historia, cap. 1. & 2. & 5. de Generatione. cap. 7. & sect. 10. problematum, quæst. 25. huiusmodi sunt viuientia, quæ in tota specie carent hac virtute, recensetque Aristotel. 3. de gener. animal. cap. 6. Tertium requisitum est, vt viuens ex femine productum fuerit, quod vide- tur addidisse ad differentiam eorum viuientium, quæ ex putrefactione, vel ex mixtione elementorū absque femine generantur, de quibus ipse a- git 5. de hist. cap. 1.

Vnde innuit animalia ex putrefactione genita non habere virtutem sibi simile generandi, atque adeo specie distincta esse ab ijs, quæ fiunt ex femi- ne. Idem insinuat 2. de generatione animalium, cap. 1. ubi Commentator id affirmat, indicatque D. Thom. in 1. distinct. 10. artic. 5. de verit. quæst. 12. cum genitū artic. 2. ad 4. de potentia, quæst. 3. artic. 11. ad pri- mum, & aperte Iandunus 7. Metaph. quæst. 14. Sed quid in hoc sentiendum sit, diximus in 2. Phylco- rum, tractaturque libr. 7. Metaph. ubi Sencinas q. 11. Iauellus quæst. 11. Antonius Andreas quæst. 8.

& 11. Scot. in 1. d. 2. q. 7. Caiet. 3. part. 2. 28. art. 1. Ferrar. 3. contra. cap. 69. qui omnes tradunt opinionem positam à nobis citato loco Physicor. Aristoteles autem loco illo de Anima exponendus est de ijs speciebus animalium; in quibus non est distinctio sexuum: nam hæc vel propria non generant; vt de anguillis refertur 6. de historia. cap. 15. & 16. vel non nisi rem dissimilem in specie; vt de bombyce dicitur; ac de ijs; quæ oua pariunt absq; commixtione maris: atque ita exponit ipse Aristoteles lib. 1. de Generatione animal. cap. 1. & 16. & libro 5. cap. 1. 3. & 9. & sect. 10. problematum; quæst. 14. Plinius lib. 10. histor. cap. 68.

Ad verò onne animal ex femine genitum pos-
sit etiam ex putrefactione generari, vt putauit A-
uicenna libro de diluſioe, & libro 15. de animalibus,
quaſtio eſt alio loco tractata, ſolum eſt aduer-
tendum Auguſtinum epistoſta 49. ad Deo gratias,
& 3. de Trinitate, cap. 7. videri ex parte conſentire
opinionī Auicennae, quatenus ait ſerpentes Mago-
rum opera factos, fuiſſe veros, cum tamen non
fuerint ex femine: forte verò non erant anima-
lia perfectā, vel certē dæmon poruit ſupplere ali-
ud ſemen aliquod ſerpentium iam diſpoſitum
ad generationem.

Vltimo dubitari potest, qua in parte animantis
subiectetur potentia generatiua, & siue formatia
feminis. Hippocrates libello de generatu, & lib. de
locis, & aquis, quem sequi videtur Albertus 2. de
Anima, cap. 7. tractatu 2. ait semen decidi ab om-
nibus membris viuientis, vt in illo continetur fi-
gura omnium membrorum, iuxta quam senten-
tia potentia factiua feminis erit diffusa per om-
nia membra. Hanc sententiam improbat multis
Aristoteles 1. de Generatione animalium, cap. 17.
& 18. & Galen. saepe, de Acad. Thomas 1. par. quest. 119.
art. 2. & in 2. diff. 20. quest. 2. art. 1. Primo, quia id

necessaria foret decilio feminis ex membris omnibus, ut illud posset membra finitula efformare: hæc autem ratio nulla est, quia licet generanti vnum, vel alterum membrum desit, poterit integrum filium procreare. Secundò semen decium ab omnibus membris, vel simile omnibus est, vel non: non primum, cum ibi non cernantur, aut offis durities, aut cordis fibræ, variazque eorum figura, &c. Si autem non est simile, cessat ratio illa decisionis, fîtq; proinde est omnium membrorum effigies in femine. Tertio posita illa membrorum effigie, actio eorum esset confusa, cum ibi nec superiores partes ab inferioribus, neque dexteræ à sinistris distinguantur. Quarto si ex omnibus membris decideretur semen, cum decidatur ab utroque parente, deberet semper vim habere ad efficienda membra sexus utriusque, quod est aperte monstruosum: certum ergo est, non in omnibus membris, sed in aliqua certa parte virtutem prædictam subsistere.

ijdem, vel ab alio nobiliori membro fiat, vt à corde, vel ab hepate, in quo residet naturalis facultas. De qua re nihil certi habeo: apparet tamen probabile non fieri ab infimo aliquo, & ignobili membro, sed forte à corde, cuius est procreare vitales spiritus, viuentibus etiam alijs partib. principalibus, vt debitum temperamentum, & virtutem semetipsum tandem recipiat, aptumque vndeque instrumentum euadat ad mirabilem illam organizationem peragendam.

Ex quibus omnibus licet colligere ex qua materia, atque forma semen fiat, materia quidem ex sanguine defumitur, fortasse tamen diuerso modo, nam rudiior illa feminis pars immediate sumi non videtur ex ordinario sanguine, at subiectione alia, quæ quam spiritum ibidem inclusum aiunt, non immediate, quæ sanguis crassior est, vnde credi potest sumi ex spiritu aliquo vitali, quod sentit Valles lib. 2. cap. 16. Similiter de forma feminis distinguendum : nam quæ crassam illam partem feminis informat, ad gradum animæ non pertingit, sicut & forma sanguinis : forma vero inclasi spiritus pertingit, vt in 2. Phisicor. docuimus. Quam sententiam sequitur etiam Germanus in Epitome librorum de Anima, & Iacobus de Forludio ad 3. Canon. Auicennæ, insinuante que Caietanus 1. part. quæst. 118. art. 1. citi enim habere corpus heterogeneum, & ad hoc citat Albertum, ac suadet, quoniam forma illa feminis actionem vendicat superioris rationis, organizandi scilicet corpus ad generationem viuens, quod est opus vite. Neglectum dicitur instrumentarium tantum operari. Nam cum semen separatum sit à viuentē, proinde que ab illo animi non iuuetur, oportuit nasci formam actiui proportionatam : potestque id colligi ex Aristotele 2. de Anim. cap. 1. in fine, vbi ait corpus potentia viuens esse, quod animam actus possidet : cuiusmodi, inquit, est semen, & fructus, constat autem fructus viuere, vt patet ex dictis, atque ex principio citati capitis primi.

Contrarium tamen huius infnuant Themi-
stius, Simplicius, Philoponus, Albertus, & Egi-
dus 2. de Anima; text. 10. & D. Thom. 1. p. q. 113. art.
2. ad 3. & 4. & de potentia quest. 3. art. 9. ad 9. & art.
112. Verum D. Thomas tantum significat, formam
illius feminis non esse animam in genito intro-
ducendam, id enim tantum probat eius ratio,
quod materia feminis non sit disposita: non nega-
ret verò D. Thomas dictam feminis formam al-
terioris esse rationis à formis inanimatarum, atque ar-
deò attingentem gradum animarum, quia tamen
anima imperfecta est, & quasi via ad aliam, ideo
fortasse perfectam virtutem nutritivum non est
sortita: sed generativum tantummodo, vel in-
fectionem etiam nutritivum exerceat, tarda est, &
missa, ideoq; maiori temporis consensuari abque
applicatione alimentis, vt vegetabilium feminibus
prehendimus. Vltima questio hic esse poterat,
quid semen efficiat in generatione vniuersis, & an
attingat etiam eius formæ productionem:

$$): ($$

ELEN.